



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Concilivm Romanvm Ob Graves Pertvrbationes, Qvibvs affligebatur Dei ecclesia, celebratum Kalendis Martiis indictione II. anno Domini DCCCXCIII. tempore Formosi papae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

clesia & publicis vilitatibus regni videbatur accommodus, censura suspenditur, & emendandi spatium reseruatur, & obsecratur per misericordiam Dei vt ab hac presumptione animum reuocet, nec amplius iram Dei contra se prouocet, ne illi quodammodo gladium prabeat.

ANNO  
 CHRISTI  
 893.

**CONCILIVM ROMANVM**  
 OB GRAVES PERTVRBATIONES, QVIBVS  
 affigebatur Dei ecclesia, celebratum Kalendis Mar-  
 tiis indictione II. anno Domini DCCCXCIII. tem-  
 pore Formosi papæ.

NOTA.

<sup>a</sup> Concilium. ] Rerum in hac Synodo gestarum nihil aliud superesse videtur, nisi quod Flodoardus scribit libro quarto cap. 2. vbi epistolam Formosi de hac Synodo congreganda ad Fulconem transmissam summatim recenset his verbis: Cui Fulconi rescribens idem papa Formosus, monet eum compati debere Romanæ ecclesie, atque imminenti eius subuenire ruina, nec ei suam presentiam denegare: adiungens hæreses vndique ac schismata pullulare, nec qui ad resistendum occurreret esse. Dicitque longo retroactio tempore perniciosas hæreses orientem confundere, & Constantinopolitanam ecclesiam nociua schismata perturbare, simul etiam regionis Africanæ legatos insistere, responsa petentes produdum exorto inter episcopos ipsarum prouinciarum schismate: diuersarum quoque partium legationes diuersa responsa petentes instare. Cuius rei gratia generalem Synodum die Kalendarum Martiarum indictionis undecima se inchoare disposuisse, ad quam eundem remota omni dilatione admonet festinare, vt colloquendo largius de his valeant pertractare, & assuentius ad consulta singula respondere. Northmannicæ gentis procellis, quibus afferebat se perturbari, plurimum dolere; & vt eos Excelsi dextera reprimat, apostolorum principum suffragis interuenientibus implorare; literas vero quas significauerat ad eum per quasdam personas primum se direxisse, ad ipsum minime peruenisse. Miserat etiam alias pro hac eadem Synodo celebranda pridem\* hinc mense indictionis decima; in quibus literis fatetur Italiam tunc semel & secundo horrida bella perpesam & pene consumptam. Orientalium vero partium se deslere vesanam hæresin in Christum Iesum blasphemiam continentem.